





Æ T E R N V M

PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOANNI FABIANO
A PONICKAV

DYNASTÆ CLIENTELARVM

LVGÆ &c.

POTENTISSIMO POLONIA-
RVM REGI ET SERENISSIMO
SAXONVM PRINCIPI A CONSLIIIS
ET SVMMO JVXTA ATQVE EMINENTISSIMO
SVPREMÆ IN LVSATIA CVRIÆ

PRÆFECTO,

PATRONO INTER PATRONOS
IN PATRIA MAXIMO

VOTVM

EA, QVA DECEIT, PIEZATE ATQVE OBSEQVII
RELIGIONE NVNCVPAT

VITNITIÆ LVSATORVM
ADAMVS HERRMANNVS,
DIE XIII. AVGUST. A.O.R.

BVDISSÆ, LITERIS RICHTERIANIS.



Agna conscientiae religio
michi est, sub auspicatissimis temporum
nostrorum primordiis, tacere in publico
Patriæ gaudio, nec dare publicos pietatis
plausus, neque fas duco in publicis popu-
li Lusatorum acclamationibus Tibi, Do-
mine Gratiostissime, denegare sanctum ac
mansurum communis lætitiae & debitæ
ac justae gratulationis monumentum, idque solemni ac religio-
ta obsequientissimi atque ad nutum compositi Clientis, formula
declarandum, æternus ego atque humilimus gloriae Tuae ad-
mirator existimo. Illam enim in altissimo reipublicæ gradu pri-
dem sitam nova nunc, &, ne ulla pars summæ gloriæ reliqua
sit, luculenta amplissimæ dignitatis accessione, maturo Perillu-
strium consilii publici Principum consilio, atque efficacissimo
omnium prouersus Ordinum suffragio amplificatam juxta ac ple-
nissimo Regis Poloniarum, Principisque Saxonum maximi te-
stimonio per liberaliter confirmatam, ac splendidissimo demum
novi jure electi & sacro ac solemni ritu inaugurati Patriæ Patris,
bonarumque arrium Patrōni ac salutis publicæ Statoris titulo il-
lustratam, nuncii per longinquas Lusatice ditionis oras & sin-
gulos Patriæ tractus dispositi, atque utilitati publicæ constituti
solemniter meritoque celebrant, & ubiq; acclamante fama cer-
tatum publicant, ac graro & devoto animo colunt, atque ea, qua
par est, animi submissione venerantur perinde ac confitentur. E-
tenim tenes indulgentissimo Numinis diuini auspicio imperii
summam regendæ Lusatiae, niteris pro gloria DEi, sustines con-
siliis honorem Regis Principisque magni, alpicis ex summo ho-
noris fastigio omnia curarum publicarum ardua, & Tu ac ma-
ximo omnium rerum arbitro res humanas moderaris atque u-
berrium adeo omnibus impertiris fructum singularis pruden-
tiæ Tuæ, qua Regi & Principi, Patriæ ac posteritati consulis, at-
que in hoc meritorum genere regnum prudentiæ tenes efficisq;
ut habeat posteritas, in quem tanquam prudentiæ exemplum in-
tueatur. Ad excellsissimum hoc & sublime potentia fastigi-
um, nulla vis injusta, nulla à Te alienissima inanis gloriæ cupi-
ditas, sed sola excellens & generosissima virtus Tua atque orna-
menta, auctoritas consilii, magnitudo animi, æquitas judicij, ex-
quisitissima ingenii vis & animus tractandæ reipublicæ capacis-
simus

simus, atque incredibilis cum inveniendi solertia, tum efficiendi
 in primis celeritas, & accurata interiorque rerum patriarchum no-
 titia, & summa in agendo peritia atque incomparabilis in con-
 sulendis conficiendisque rebus industria ac felicitas doctrinaque
 prudentiae scientia elegit Te meritoque provexit. His tam fau-
 turum splendore ac prudentiae praesidiis munitus, omnes summi
 sanctissimique Patriæ Patriæ conscripti partes numerosque acla-
 bores magna animi contentione pro Republica susceplos una-
 cum orbis Nostri admiratione explevisti atque adeo omnium ocu-
 los & ora in Te convertisti. Nec minus secundis adversisque
 rebus magnam animi firmitudinem constantiamque plane fin-
 gularem probasti, ac periculis maxime, & difficilimis tempo-
 ribus, & varia aincipitque fortuna, inter tot tantosque hostium
 apparatus, & repentinis irruptiones expeditionesque & maxi-
 mos belli motus ac formidolosos multarum rerum exi-
 tus, perturbato etiam Reipublicæ statu, nullum pro salute Pa-
 triæ, cuius semper amansimus fuisti, periculum recusasti. Sed
 majus quiddam in Te, Domine Gratiissime, inest, quam ver-
 bis exprimere possum. Nam quoad consiliis praesentiaq; Tua
 frequentissimum Lusatia Senatum ornasti, ac cum Illustrissimis
 moderanda Patriæ purpuratis & inclutissimis consiliorum soci-
 is sensus Tuos consiliorum publicorum arcanos dividisti, hone-
 stissima Patriæ instituta graviter defendisti, cum summis, tum
 gravissimis intercessionibus unus omnium Tu, Domine, ut Ro-
 manorum ille Quintius, apud Sveonum, Gothorumque Regem
 deprecator idem defensorque Lusatia certissimus extitisti tem-
 pore adfuitque, & tuendis perinde fortunis atque retinendis
 privilegiis sedulam constantemque operam dedisti, ac omnia
 denique Patriæ negotia veluti Tua peregisti ac procurasti, En-
 nianum Apollinem optimi consilii auctorem rerumque gravio-
 rum adjutorem sapientissimum imitatus, eoque semper inten-
 tus, unde & ostenderetur communis omnium Patriæ utilitas,
 & pararetur optimum Reipublicæ præsidium semper securum,
 & perpetuum retineretur. Reliqua, sic penitus statuo, hæc epi-
 stola non capit, neque Patria circumscribit, longius prolata sunt
 & proiecta, ne minus dicam, quam sanctissima Tua requirunt
 merita, quippe quæ in omnium animis dominantur cumulatis-
 sima, non in curia & foro solum, sed etiam in colloquiis publicis,
 & Procerum congressu, & comitiis in Patria habitis, in conven-
 tibus institutis, & ipsa adeo in aulae luce etiamnum insigniter
 splendent, ac pleno omnium ore celebrantur.

Quæ per le maxima omniisque laude dignissima ut a princi-
 pio usque ad extremum omnia paucis complectar, prorsus talia
 sunt,

sunt, ut cum sub ipso se splendore & rerum magnitudine gestarum ab injuria temporum vindicent, & in religione animi tacitaque admiratione conquiscant immortalia, tum aciem cujusvis mentis etiam præstantissimæ, ac meos privati hominis oculos veluti lumen præstringant, maximumque ac supra vires meas apparatum requirant, finibusque tam amplis contineantur, ut plenos commentarios, ac justam historiam postulent à me atque expectent. Quamobrem in publico terrarum orbis domicilio hæc consecuto Tibi, ac Tua causa etiam Regi, Principi, Patriæque, ac mihi denique ipsi cum primis ex animo gratulor, qui in Te, Domine indulgentissime, spem veræ ac solidæ felicitatis adipiscendæ certe maximam atque præsidium salutis meæ firmissimum colloco, ac totum me Tibi do, totamque studiorum meorum fortunam permitto. Ad extremum quod reliquum est, peto abs Te, vehementerque rogo, hoc mihi concedas atque ex gratia tribuas, ut mihi imposterum quoque liceat esse in loco numeroque Clientum Tuorum, qui cupiunt, DEumque immortalem precantur veneranturque, ut locum, quem summa fide & constantia, summa integritatis laude & immortali illustri um in Patriam meritorum gloria consecutus es, Patriæ causa, tenere feliciter, & tueri constanter possis, ac quod sancit Rex Polonorum Saxonumque Princeps, quodque svades Tu, & Regi Principi, & Tibimet ipsi, & Patriæ faustum fortunatumque esse velit, & quod in Te summum prorsus atque incomparabile, & prope immensum literarum decus ac delicium, & præsidium quoque ac firmamentum est, atque semper magis splendet, serenissime sibi repeatat, ut sacra & profana, divina & humana quam diutissime Te auctore florent felicissimeque converventur. Ita DEus Te, Domine Gratosissime, optimum maximum salutis publicæ Præsidem, & juris legumque custodem, salvum & in columem, una cum Illustrissima Generosissimaque Conjuge Tua, illa omnium in terra rerum, quas possides sanctissimarum, consiliorumque socia, mihi Clienti Vestro, diu omni augustæ ac generosæ felicitatis genere servet beatissimum, omnibusque immensis gloriæ ac fortunarum accessionibus post hac augeatur, juxta ac summa post DEum, patrocinii Tui auctoritate me tuendum ornandumque suscipias, ac Tuis demum auspiciis via aditusque mihi ad capessenda industria & diurnæ expectationis eruditorum hominum præmia dividitus constituta muniatur.





F.K.99.

Z a
3770

Königl. ausische Ehren= Fahnen /

Der von Sr. Königl. Majest. in Kohlen
und Thürfurstl. Durchl. zu Sachsen
gnädigst conferirten

Ober=Amts=Hauptmann C H A R G E Des Hoch=Wohlgebohrnen



Johann

von



Erb=Herrn auf Li

Jan

ucfe /

gen höchst
n Haupt-
sif:
i Landes/
igen

Sr. Königl. Majestät in
meritirtesten Landes=Aelte
Reyse/ des Margar
Wolten bey der allgemeinen F
in dem Tempel der Ewigkeit un

Die in Budishin sti
des gnädig

Johann Albrecht Ernst
Johann Fabian Gottlob

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26	50.80



BUDDIGSEN/ dru

ilgram.
OTHEG
KAVANA